



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 107. Veneti Patriarchæ opinio a Segobiensi Episcopo confirmata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI. „pus consecrans ad inaugurandos di-
 A.C. 1562. „cit, quod id tradat in signum acceptæ
 „potestatis, qua corrigere, ac vitia pu-
 „niri valeant: Magis autem id suade-
 „tur, cum tunc, ubi eorum digito an-
 „nus inferitur, hæc adhibeantur verba,
 „quod per hunc ritum ipsi desponen-
 „tur Ecclesiæ, traditoque Evangelii
 „libro, quo Character Episcopalis impri-
 „mitur, ipsis injungatur, ut populo eo-
 „rum curæ commisso Evangelium an-
 „nuntient: postea vero hæc subjunga-
 „tur oratio: *Deus omnium fidelium Pastor,*
 „*Et rector &c.* ac Deus, qui hunc Epi-
 „scopum suæ Ecclesiæ præesse voluit,
 „exoretur. Denique Innocentius III.
 „inquirebat, quod spirituale Episcopus
 „connubium cum sua Ecclesia sit vir-
 „culum a Deo institutum, nulla hu-
 „mana potestate dissolvendum, adeo,
 „ut nec ipse Pontifex Episcopum trans-
 „ferre possit, nisi ad id specialem a Deo
 „potestatem acceperit: porro id om-
 „nino absurditatem saperet, nisi Epi-
 „scoporum institutio esset juris Divini.

§. CVII.

*Veneti Patriarchæ opinio a Segobien-
 si Episcopo confirmata.*

*Pallav. c. 14.
 n. 5. & 6.
 Sarp. l. 7.
 pag. 590.*

Cum autem Venetorum Patriarcha
 illa verba, ubi Sacerdotium dici-
 tur Ordinis complementum, impugna-
 set.

Sæcul. XVI.
A. C. 1562.

set, mox Styala Segobienſis Epifcopus illius opinionem confirmabat auctoritate exiſtimati Sancti Dionyſii Areopagitæ, docentis, Ordinem ab Epifcopatu perfici: cenſuit inſuper definiendum non eſſe, quod conferatur in hoc Sacramento illud genus gratiæ, quæ nos Deo gratos efficit: etenim, aiebat ille, a Sacramentis nonniſi id efficitur, quod ab ipſorum forma ſignificatur; at a forma Ordinis illud genus gratiæ minime ſignificatur. Interim tamen verum eſſe inquiebat, a Deo pro ſua miſericordia concedi auxilia majora illis hominibus, qui hunc gradum obtinent. His dictis etiam poſtulabat, ut enumerarentur cunctæ cæremoniæ, ſimulque ea, quæ ex neceſſitate fierent, diſtinguerentur ab iis, quæ peragerentur ex mera congruentia; petiit præterea, ut explicaretur ſigillatim Epifcoporum, ac Sacerdotum origo, quatenus Hierarchiam conſtituunt: his adiecit poſtea: „quemadmodum Pontifex Romanus Petro ſuccedit, ſic Epifcopi Apoſtoliſſis ſucceſſere; proin ſi jurisdictio Epifcoporum debilitatur, Pontificia pariter labefactatur; poteſtas enim jurisdictionis Epifcopis a Deo confertur, cum Epifcopatus abſque jurisdictione conſiſtere nequeat; ſed exercitium tamen jurisdictionis ipſis confertur a Ro-

F f 3

„mano

Sæcul. XVI. „mano Pontifice, ad quem spectat per-
 A.C. 1562. „sonas designare, & Ecclesias partiri:
 „accipitur quoque ab Episcopis in ipsa
 consecratione jurisdictionis, nec ea per
 „*degradationem*, ut vocant, deperditur,
 „allegabat quoque idem Anacletum
 „Pontificem, qui docuit, quod Episco-
 „porum auctoritas per Sacri chrisma-
 „tis unctionem conferatur, atque Epi-
 „scopatus æque, ac Presbyteratus sit
 „Ordo a Christo institutus.„ Demum
 statuebat, quod Episcopatus e tribus
 hierarchicis Ordinibus unus sit; cum
 duobus solum Ordinibus Presbyteratu,
 & Diaconatu Hierarchia componi non
 potuisset: reliqui autem Sacri Ordines
 solum sint Presbyteratus, ac Diacona-
 tus; unde hic Præsul rursus arguebat,
 quod Christus, cum Hierarchiæ auctor
 existat, pariter sit auctor illius juris-
 dictionis, qua Episcopi in Ordine Hie-
 rarchico Supremo constituuntur: postre-
 mo considerabat ea verba: *quodcumque*
ligaveritis, &c. fuisse a Christo dicta cum
 ceteris Apostolis: quam in rem, affirma-
 vit Episcopus Apostolis plene succedere
 tum in Ordinis, tum in jurisdictionis
 testate, ac proinde id tanquam traditio-
 nem Apostolicam esse admittendum,
 præcipue cum definitum sit, quod fi-
 dei dogmata ex Sacris literis, & tra-
 ditionibus hauriamus, hinc minime
 dubi-

dubitandum dicebat, quin dogma de ^{Sæc. XVI.}
 Institutione Episcoporum sit articulus A.C.1562.
 fidei, eo potissimum nomine, quod San-
 cti Epiphanius, & Augustinus Aerium
 hæreticis accenserent, eoquod sacerdo-
 tes Episcopis æquales esse asseruisset, cum
 tamen propterea nec objurgatus, nec
 damnatus fuisset, nisi Episcopi a jure
 divino essent instituti.

§. CVIII.

*Aliorum Episcoporum sententiæ prio-
 ribus consonæ.*

Eidem adhæsit sententiæ Episcopus ^{Pallav. c. 14.}
 Auriensis, hæc dicens: „Nihil ab ^{n. 7.}
 „hæreticis magis intenditur, quam e-
 „versio Hierarchiæ; hinc ejus firmitas
 „exacte stabiliatur distinguendo illius
 „gradus, solumque illius Auctorem esse
 „Deum, clare ostendatur. „ Hanc si-
 militer definitionem urgebant Episcopi
 Dertusensis, & Veglensis: huic tamen
 opinioni plures alii obluctabantur Epif-
 copi, atque inter eos Guido Ferrerius
 Episcopus Vercellensis, postea Cardi-
 nalis, & Joannes Antonius Facchinet-
 tus, qui postea sub nomine Innocentii
 IX. in Papam fuit electus, qui omnes
 ejusmodi explicationem haud necessa-
 riam censebant, cum aliunde hoc dif-
 crimen re prius nondum mature discuf-
 sa fieri haud valeret: insuper Andreas

F f 4 Cue-